

1529

*Lelubajar-
dus a Rege
in Belgium
missus.*

*Ludovica
Regis mater
ad Camera-
cum ad pa-
cem sancio-
dam.*

*Franciscus
Rex, ut Se-
natus ora-
toribus mā-
data de pa-
ce daret, po-
stulat.*

*Senatus
mādata pa-
ci subscribē-
di oratori-
bus tribuit.*

*Andreas
Naugeri-
bitus.*

*Marcus
Minius
orator in
Gallia.
Veneti per
Justinianū
oratorem in
Italiā
Gallos alli-
ciunt.*

ti negotium peragendum mandata Cæsaris sufficerent, disquirere voluit; ad eam rem explorandam Lelubajardum cubicularium a secretis in Belgium misit, visaque quam Margaretae amplissimam facultatem Cæsar dederat, Rex Ludovicam matrem Cameracum misit, ut de pace ageret; iis se, quæ ambæ simul decrevissent, pollicitus assensurum. Rex ea consilia initio tecta, mox oratoribus explicuit, nullas concordiae conditiones amplexurum testatus, ni prius Senatui, ac reliquis foederatis expositis, eorum voluntas accederet: interim propensum illius, atque benevolum in Rempublicam animum officii plenis testari verbis; ad pacem hortari; demum petere, ut a Senatu oratoribus ad negotium conficiendum mandata mitterentur. His a Patribus intellectis, quamvis Regis consilia, actionesque suspectas haberent, quippe qui modo in Italiam se venturum, modo ingentia subsidia submisurum cum diu affirmasset, clam de pace cum Cæsare ageret; attamen ne ab eo, quod ceteri Principes cupere videbantur, alieni se patefacerent, mandata oratoribus, ut paci subscriberent, dedere, modo communi reliquorum foederatorum consensu esset amplectenda. Illud adjectum est, si Rex ab Italico proposito itinere abstinere velit, saltem copias ad decem millia peditum augeat; duodecim millia præter caphractos, & leviores equites, tormentaque, Reipublicæ militaturos. Nondum his Senatus literis in Galliam allatis, Andreas Naugerius gravissimo morbo conflictatus Blesis excessit, vir excellenti ingenio, omnibus disciplinis, politioribusque præsertim studiis instructus. A prima juventa Bartholomæi Liviani, terrestrium copiarum Imperatoris, consiliorum particeps, atque itinerum comes; mox accidente ætate, summis negotiis apud summos Reges assuetus, cui ob singularem facundiam, maximarumque rerum usum Decemviri Historiæ Venetæ conscribendæ onus detulere: licet illius fructus acerimi ingenii censura, ex testamenti tabulis concrematis libris, ad posteros minime pervenerit; ex cujus obitu summus omnium ordinum civitatis mœror fuit. In ea legatione Marcus Minius suffectus est. Sebastiano Justiniano literæ dantur, quibus quo in statu res Italiæ sint, Regem edoceat; octo millia peditum in Hastensem agrum Rempublicam si in Italiā